



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Vase Aqvae Sanctae. Cap. XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Lapis marmoreus solidus opere sculpti
li eiusmodi apparetur; qui forma oua-
ta sit, ac longe cubitos duos & vncias
octo pateat; latè cubitum ynum & v-
ncias duodecim.

In quo lapide vas duo, eaque vncia-
rum trium interuallo inter se disjuncta
scalpro politè concaventur; quæ & for-
ma rotunda sint, & eadem altitudine,
amplitudineque item.

Tum columella etiā ad formæ præscrip-
tæ modum sub ouato lapide statuetur.
E duobus his vasibus ynum erit ad alta-
re maius vrgens, in quo aqua baptismali-
lis afferuabitur; alterum in quo dum ba-
ptizatur, aqua eadem effundetur, idque
spectans ad parietem altari majori ap-
positum.

Ideoque in huius fundo parvulus cana-
lis fiat, per quem ad foramen, quod à la-
tere in una parte fodietur, aqua duca-
tur; indeque per columellam intus va-
cuam penetrans, ad subterraneam par-
vulam cisternam defluat.

Hoc item baptisterium operimento ci-
boriove ligneo ex præscripta supra for-
ma contegatur: armario item ut su-
pra extructo, & conopœo item adhibito.
Hæc de Baptisterio; sequitur de sacra-
rio breuis instructio.

DE SACRARIO. Cap. XX.

Sacrarium igitur, præter illud quod
cum baptisterio iunctum est, alterum
etiam quod alijs vasibus in Ecclesia esse
debet, in omni cathedrali, præpositura-
li, archipresbyterali, parochiali, & alia
quaus Ecclesia in qua Missa aliquando
celebratur, extruatur, ad ynius vel alte-
rius formæ quæ sequitur præscriptæ mo-
dum. Id est; in capella majori si commo-
dè potest, neque ullum impedimentum
præbet; vel alio ecclesiæ loco, qui sacri-
flia propior sit, eiusque yni accommo-
dation, à populi autem conspectu remo-
tior; vel in ipsa potius sacristia, si hæc
ampla sit, ac præsertim si Ecclesia fre-
quentior, eiusque clerus multus.

Sacrarij prima forma.

Sacrarij prima forma hæc sit: ut vas
scilicet è marmore lapideve solido

fiat, instarque fontis baptismalis con-
cauetur: longe patens sit cubitum unum,
latè vncias sexdecim: forma rotunda,
vel ouata, vel quadrata, aliave quæ mi-
nus situm impediat.

In medio fundo concavo forame habeat
forma quadrata, quod largè ab omni
parte pateat vncias circiter quinque.
Supulcatur columella quadrata, aliave
pro ratione vas, supposita parvula ba-
si: ita ut ab Ecclesiæ paumento usque
ad summum eius labrum, altè extructum
sit cubitis duobus.

Habent sub foramine parvulum tubu-
lum aqueductum ve in media columella
effosum scalptumve: qui quadrata etiā
forma, amplè itidem pateat vncias quin-
que; ut per eum aquæ, cineres, aliaque
id generis quæ effundētur aut proijcien-
tur, deorsum effluant.

Infra hunc tubulum aqueductumve ci-
sterna suffodiatur, in quem quæcumque
effusa projectave erunt, recipiantur.
Id sacrarium integumento operiatur,
quod ex tabulis nuceis sitatque eiusmo-
di, ut à parte superiore sensim leni accli-
uitate quasi pyramidis instar emineat.
Claudatur autem firmissime pestulo, se-
ra, & clave.

Sacrarij forma secunda.

ALTERA præterea sacrarij for-
ma hæc erit.
Fenestella in pariete vncijs viginti vel
cubito, prout illius crassitudo est, con-
cava extruatur; quæ cubito etiam uno
ac paulò amplius latè pateat; alta yero
sit cubito item uno & dimidio.

Ab Ecclesiæ paumento in altitudinem
extruatur cubitis circiter duobus.

Cuius fenestellæ solum è solido lapide,
eoque concavo sit, in quo foramen in-
sit ut supra.

Forma amplè quadrata: tum aquedu-
ctus, & subitus item suffosia cisternula:
valuulis suis, sera, & clave occludatur.

DE VASE AQVÆ SANCTÆ. Cap. XXI.

Hactenus de sacrario; nunc de aquæ
sanctæ labro vaseve: quod è mar-
more

more lapideo solidō, non spongioso, ac sine rimis sit; columella exq; scapo decenter elaborato sufficiatur.

Collocetur non foris, sed intus in ecclesia; ita ut ē conspectū ingredientium sit, à latere dextro vbi potest.

Alterumque collocetur qua ingreduntur viri, alterumqua mulieres.

Parietē non inhārens, sed ab eo distans pro situ spatio: columella ut supra, aut pila, basēe sustentetur; in qua nihil profanum appareat.

Aspergillum decens habeat, è labro cāthenula appensum.

Quod vel ex aurichalco, vel ex ebore, vel è ferro polite tamen elaborato, vel ex alio genere quod conueniat, conficiatur: à summa parte non ē spongia constet, sed è setis.

E spongia autem esse potest: si in pilula ex argento, aurichalco, aut stamno vndique perforata illa includatur, præfixis extrinsecus setis.

DE AMBONIBVS, ET SVG- gestu. Cap. XXI.

HAbenda est quoque in ecclesijs insignioribus, ac præsertim in basilicis cathedralibus, ratio ambonū: quos & magnos, & ornatè confectos, & tabulis marmoreis ornatos extitisse, in basilicis Romanis perspici licet, & alibi etiam, æneis cœlato sacrarum imaginum opere expressis.

De duobus ambonibus.

ITem duo pro ecclesijs magnitudine constitui possunt; vnu altius extrectus, de quo euāgelium; alter de quo epistola lectio facræ scripturæ in maioribus solennitatibus pronuncietur. Hicque paulò depressior sit, quam ille vnde euāgelium legitur.

De uno ambone.

VNus etiam tantum ambo, vt in multis ecclesijs cernitur, esse potest; qui & euāgelii & epistolæ simul lectioni vñsi fit: ita tamen, vt in eo locus vnde euāgelium recitatur, aliquanto emi-

nentior sit; pars vero vnde epistola, aliquo gradu inferior sit.

Infima item pars sub ambone, vel alias locū inferior detur, vbi cantoribus clericisve spatium sit, vnde in solennitatibus, certisque diebus de antiquo ecclesiæ more stata cantica præsertim inter epistolam & euāgelium canant.

In ambone, vbi potest, cōstituantur duo graduum ordines; unus quo sit ascensus ad orientem versus, alter ad occidentem spectans, quo fiat descensus.

De situ ambonum.

SI vnu tantum ambo in ecclesia constitutus sit, is à latere euāgelij statuatūr.

Si duo; vnu, vnde scilicet epistola legitur, à latere epistolæ; alter vero qui est euāgelij, ab euāgeliū latere constitutus; ita vt diaconus inde euāgelium legens, ad meridionalem ecclesiæ partem vertatur, ad quam viri conueniant.

Atque iū quidem è marmore lapideo alio confici debebunt, & ornari præterea aliquo pīz sculpturæ opere.

Aut è latericio lapide exædificari possunt, exornari tamen eos decet laminis marmoreis lapideisve ornatè elaboratis, aut æneis ijsque inauratis, quales hodie etiam visuntur.

De suggestu.

IN vnaquaq; autem ecclesia parochia li vbi ambo constitui non possit, vnde & euāgelium pronunciari, & sacra concio haberi possit; suggestus omnino ex tabulis sectilibus iisque firmioribus, decenti opere & forma ab eodem euāgeliū latere extratur; vnde & euāgeliū lectio, & concio sacra haberi queat.

Illud denique caueatur, vt cum ambones, tum suggestus, in gremio Ecclesiæ, loco conspicuo, vnde vel concionator, vel lector ab omnibus & conspici, & audiiri possit, aptè collocati, ab altari maiori (vt pro ecclesiæ ratione fieri deco rē potest) non longè admōdum sint; quod Sacerdoti, vt decretum est, intra Missarum solennia concionanti commodiori vñsi esse queant.

X a DE